



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XI. De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

C A P U T XI.

*De pace acquirenda, & zelo
proficiendi.*

1. **M**ULTAM possemus pacem habere, si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, & quæ ad nostram curam non spectant, occupare.

Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet; qui occasiones forinsecus quærit; qui parum vel rarò se intrinsecus colligit?

Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt.

2. Quare quidam Sanctorum tam perfecti & contemplativi fuerunt?

Quia omninò seipsum mortificare ab omnibus terrenis desideriis studuerunt: & ideò totis medullis cordis Deo adhærere, atque liberè sibi vacare potuerunt.

Nos nimiam occupamur propriis passionibus, & de transitoriis sumis sollicitamur.

Rarò

Rarò etiam unum vitium perfectè vincimus, & ad quotidianum profectum non accendimur: ideo frigidi & tepidi remanemus.

3. Si essemus nobis ipsis perfectè mortui, & interiùs minimè implicati: tunc possemus etiam divina sapere, & de cælesti contemplatione aliquid experiri.

Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus & concupiscentiis liberi; nec perfectam sanctorum viam conamur ingredi.

Quando etiam modicum adversitatis occurrit, nimis citò dejicimur, & ad humanas consolationes convertimur.

4. Si niteremur, sicut viri fortes, stare in prælio: profectò auxilium Domini super nos videremus de cælo.

Ipsè enim certantes, & de sua gratia sperantes, paratus est adjuvare: qui nobis certandi occasiones procurat, ut vincamus.

Si tantùm in istis exterioribus ob-
servant-

servantiis profectum religionis ponimus, citò finem habebit devotio nostra.

Sed ad radicem securim ponamus: ut purgati à passionibus, pacificam mentem possideamus.

5. Si omni anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur.

Sed modò è contrario sæpe sentimus, ut meliores & puriores in initio conversionis nostræ nos fuisse inveniamus, quàm post multos annos professionis.

Fervor & profectus noster quotidie deberet crescere: sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem posset retinere.

Si modicam violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum levitate & gaudio.

6. Grave est, assueta dimittere: sed gravius est, contra propriam voluntatem ire.

Sed si non vincis parva & levia, quando superabis difficiliora?

Resi-

Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam dedisce consuetudinem : ne fortè paulatim ad majorem te ducat difficultatē.

O si adverteres quantam tibi pacem, & aliis lætitiā faceres, te ipsum benè habendo; puto quòd sollicitior esses ad spiritualem profectum!

C A P U T XII.

De utilitate adversitatis.

I. **B**ONUM nobis est, quòd aliquando habeamus aliquas gravitates & contrarietates; quia sæpè hominem ad cor revocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliqua re mundi ponat.

Bonum est, quòd patiamur quandoque contradictores, & quòd malè & imperfectè de nobis sentiatur, etiam si benè agimus & intendimus. Ista sæpè juvant ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt.

Tunc enim meliùs interiorem testem Deum quærimus, quando foris vili-